

Petrus de Vinea

*Ep. II 15 (Quod causae
nostrae iustitiam...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 15 (Quod causae
nostrae iustitiam...)*

gennaio-febbraio 1250

De conuersatione ciuitatum Marchiae et de apparatu equorum et armorum faciendo.

1. Quod causae nostrae iustitiam dispensatio superna respiciat, potestis euidentium argumentorum experimento colligere, dum quamplures ex hostibus, qui diutius communi modo non absque materialis gladii uibratione decertant, multi ex eis, ut culpas proprias penaliter doleant, in laquei nostri capturam miserabiliter incidunt, et nonnulli, quos emulorum interdum suggestio perniciose subuertit, plenius estimantes misericordiam querere, quam expectare iudicium, ad sinum nostrae potentiae spontanei reuertuntur. 2. Scitis etenim, qualiter hactenus aliqui Marchiani, ad falsas suggestiones magistri P. cardinalis et aliorum pseudoprophetarum euangelizantium uerbum guerrae, et fidei nostrae gestibus impudenter errauerint, et tam diu passi sint huiusmodi obumbratione deduci, quousque superstitiones et uitia seductorum, quae diutius latere non poterant, euidenter cognoscere potuerunt. 3. Nuper autem fortunae nostrae proprietates, quae solet nobis placidis arridere, dum prouocat, et per sequentia signa placere gratanter, dum ingratitude uitio, quod promisit quantumlibet, uisa sit hactenus tergum nobis aliquando uertere, faciem tamen hylarem iucundamque monstrauit, dum maior pars Marchiae, scilicet... et... ac... ciuitates et precipue Ciuitas Noua, uelut antesignaria prosiliens et exurgens, suggestorum detectis fraudibus et uia cognita ueritatis, ad fidei nostrae cultum nouiter redierunt. 4. Et ut erroris preteriti uitium uirtutis placida conuersione redimerent, ad fidelitatis semitam redire uolentes, uigili et tumultuoso conflictu facto cum hostibus, in signum reprobatae perfidiae fidei

suae constantiam experti, multos de melioribus ... et... aliisque rebellibus et cum eis talem generalem iudicem Marchie aliosque famosos uiros nostri carceris excidiis aggregarunt, ex quo nobis fiducia certa promittitur, quod tota prouincia reducetur ad culminis nostri fidem, si tamen partes illas, ut credimus, potenter et magnifice requiramus. 5. Nolentes igitur oblatam quasi nobis ad oculum de hostium conculcatione uictoriam negligi ab auctore, uos, quos laborum nostrorum et onerum expertes esse non sinimus, ad ipsius uictoriae participium inuitamus, fidelitati uestrae mandantes, quatenus ex sapore rumorum huiusmodi, non solum causam letitiae, sed robur et animos assumentes, omnes et singuli ad requisitionem iustitiarum regionis ipsius, uos armis et equis, prout magnificentius unumquemque decuerit, preparetis, ut in estate futura cum felici exercitu nostro, ad obtinendum de hostium depressione triumphum, sic potenter procedere ualeatis, quod ad retributionem munificam, quam propter hoc et alia uestrae deuotionis obsequia stabili mente concepimus, per efficaciam uestrorum operum libentius inducamur. 6. Securos enim esse uos uolumus, quod, sicut uestrorum quemlibet in nostris seruitiis uiros et animos exercere uidebimus, sic in quemlibet liberalitatis nostrae dexteram proportionaliter extendemus.